



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Referuntur & aliæ multæ conformes, quarum quæ postrema est, fusè
declaratur; Ex his Apostoli verbis: Videte ne recusetis loquentem.
Sedentem in cælo Christum, & inde nobis loquentem non audire, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

quidem uberius ex Apostolicis scriptis, & sanctorum Patrum sententiis illustrari possent: sed Christus hodie praesertim audiendus: ac propterea sequens etiam Veritas erit opportuna:

Sedentem in caelo Christum, & inde nobis loquentem non audire, periculosius est, quam dum in terris loqueretur.

Hebr. 12.

HOC IPSUM EST QUOD PROPONIT APOSTOLUS: *Videte ne recusatis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos qui de caelis loquentem nobis avertimus.*

Id est, si consideremus illos qui olim in deserto sibi loquentem Deum saepe recusarunt; sive illos qui Christum Dominum in Palaestina praedicantem repudiarunt, non est dubium quin utrique graviter peccaverint, ac meritis peccati poenas dederint: sed id certum nobis esse debet, nos multo gravius peccaturos & puniendos fore, si de caelis modo loquentem nobis Christum avertimus.

Ratio est, quia tanto gravius est peccatum eorum, qui loquentem sibi Christum recusant, quanto magis cognoscitur Christus esse Deus. Sed cum de caelis modo nobis loquitur, magis cognoscitur esse Deus, quam cum in terris loqueretur.

Ergo nos gravius & peccabimus & puniemur, si loquentem nobis Christum avertimus aut recusamus. Seu quod idem est, ergo id periculosius ad peccatum atque ad poenam, quam dum olim loqueretur & recusaretur.

I. PUNCTUM.

Quando Theologi tractant de objecto, quod vocant formale fidei, quo tanquam motivo firmissimo innituntur ad credendum, una voce omnes affirmant cum sancto Thoma, non esse aliud quam ipsum Deum, ut est prima & infallibilis veritas, quae nec decipi cogitando, nec loquendo potest decipere. *Nihil credimus, inquit sanctus Doctor, nisi quia Deus revelavit:* At quando etiam scimus aliquid divinitus revelatum, id tam certo debemus credere, quam certum est nihil aliud fide divina credendum esse. *Leo*

2. 2. q. 1.
a. 1.

rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? Quasi Propheta diceret, sicut statim ad leonis rugitum timent omnes; sic ad Deum loquentem minas, flagella, caedes, & adversos quoscunque casus, licet a sua bonitate multum alienos, tam certo tamen timendum est id futurum quod dixit, unde infidelitatis peccatum, quo se loquenti quis opponit Deo, & quod prima contradicit veritati, grave profecto peccatum est, graviusque poena dignum; sed cum peccati, poenaeque gravitas major aut minor esse possit ex variis, qui circumstant, peccatum casibus: tanto erit peccatum illud gravius, quanto quis magis scire poterat Deum esse qui loquitur, & cui loquenti resistit.

Sunt enim alia alia notoria signa; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, ait Propheta Regius, id est, omnes hoc signum habent a naturali lumine, quod sit Deus, & quod sit colendus: ac propterea nullus excusari potest ab aliquo Dei cultu. Sed cum ad illud rationis lumen magis illustrandum accedunt alia, sive a creaturis, sive a Deo; sive ex mirandis naturae effectibus, sive a stupendis supra naturam signis; tunc illi minus excusantur magisque peccant, qui clarius Deum vident, nec tamen consentiunt: Unde ex Gentilibus illi perfidiores, qui doctiores: supra Gentiles vero Judaei nequiores, & ex Judaeis illi miserimi, qui erant beatiore ex praesentia colloquioque Christi Domini, cujus doctrinam respuerant, mores contempserunt, vitam sustulerunt, *qui & Dominum occiderunt Iesum & Prophetas*, inquit Apostolus, *& nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos Gentibus loqui ut salva fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.*

Quale est enim illud incredulitatis portentum non illi credidisse, cujus Divinitatem antiqua denunciant oracula, nova in dies probabant signa, Daemones expulsi corporibus loquebantur, caeli, aquae, terra, totus universum orbis confitebatur, ipse denique sanctitas vitae & doctrinae palam demonstrabat! Quam dura illi cervice & incircumcisis cordibus, qui tanta obfisterent crudelitati! Cui crederent nisi loquenti Deo: Quem vero Deum esse credent, nisi qui divina patrat opera, Deum ut se testetur esse? unde & illis dice-

Amos 3.

1. Thess. 2.

3. p. q. 4.

a. 4.

1. Pet.

Jan. 10. dicebat, *se non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Sic ostendebat illis, inquit D. Chrylостомus, se nihilo esse minorem Patre ab operum qualitate, substantiam enim ejus videre non poterant. Quamobrem tantò gravius eorum peccatum fuit, qui loquentem recusarunt, quantò apertius scire poterant ipsum esse Deum, quia qui quid hoc nomine loqueretur, non poterat non esse veritas, & illi certò non poterant sine peccato veritati loquenti resistere.

II. PUNCTUM.

Sed cum modò de caelis nobis loquitur Christus, magis cognoscitur esse Deus, quam cum in terris loqueretur.

Tria hic essent explananda nisi alibi fuisset haberentur.

Primum, quomodo nobis jam è caelo loquatur Christus. Secundum, quid loquatur. Tertium, quam verè modò magis cognoscatur esse Deus, cum de caelo nobis loquitur.

De primo, vide in 3. parte, Dominicam antecedentem, ubi hæc veritas exponitur, *Qui non audit, non audietur.*

Septem ibi producuntur voces seu modi, quibus Christus dici potest nobis loqui, juxta septenarium illud quod in Psalmis refertur: *Vox Domini super aquas; vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia; & quæ sequuntur, ex quibus satis modò nobis sit unam aut alteram vocem seu formam loquendi nobis proponere; magisque laboremus in re ipsa efficienda quam loquitur, quam in modo indagando quo loquitur.*

Complectemur itaque, brevitate causa, secundum ex illis propositis cum illo primo, simulque proferemus, quid & quomodo jam Christus nobis loquatur. Jam audivistis, jam vox emissa est, jam vobis proclamatum, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate autem in caelo.* Nonne vox Christi est? nonne ad nos petinde modò dirigitur, ac cum illam primò protulit Dominus? Nonne fides, nonne spes nostra tota posita est in ejus verbis? Quorsum verò in ejus verbis, nisi nos illa spectent verba? Vobis ministrabant, inquit opportunè S. Petrus, *vobis ministrabant ea qua nunc nunciata sunt vobis per eos qui evan-*

gelizaverunt vobis. Quasi diceret, dum Christus loquebatur Judæis aut Discipulis suis, vobis parabat, quod modò vobis loqueretur. Vos habebat ita præfentes atque illos omnes quibuscum aderat. Tam probè norat futurum hoc tempus, quo illa verba vobis erant nuntianda, quam cum ea primum enunciarer. Nec minorem à vobis reposcet rationem de servatis aut non servatis suis verbis, quam ab illis qui loquentem audierunt. *Qui credit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Quasi diceret, sicut omnium ego sum Judex, sic omnes ex sermone jam habito, quasi ex sententia jam prolata, judicabo. At nonne tu ex illis es, quorum Christus est Judex? Quomodo verò te ex verbis suis judicabit, nisi ad te verba illa sua prius retulerit?

Sed dices, non diffiteor ad me spectare illa Christi verba, verum quod erat in quaestione, quomodo quæ in terris olim pronuntiavit, jam de caelo proferre dicendus est? Responderetur primò, satis esse ad propositam veritatem, jam illum esse in caelo qui nobis olim in terra locutus est. Deinde verò, etiam de caelo nunc loquitur, quando nunc per me vobis hoc ipsum prædicat & condemnat, nam ipse est qui per suos loquitur, ipse est qui revera jam auditur & spernitur; quam verè dixit suis, *qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Unde audacter Apostolus, *An experimentum quaritis ejus qui in me loquitur Christus? Nec oportet esse Apostolum ad hanc Christi personam exhibendam; satis est esse approbatum ejus verbi ministrum; satis est si quis legitimè & ordinatè verba ejus enunciet. Quæ quidem enunciata Christi verba si quis sperneret, nonne ipsum diceretur Christum spernere? Quamobrem verò, nisi quia Christi sunt loquentis verba, Christus ipse representatur, ipse loquitur, ipse in dicente sicut in dictis suis spernitur aut honoratur; *Non te abjecerunt, sed me.**

Denique quando Christi verbum audis, nisi sis omnino lætus, nonne cor tuum emollitur, nonne accenditur, nonne pavet, nonne terretur, nonne quoquo modo commovetur? At unde quæso est illa commotio? Non est profectò, non est humanæ vocis opus. Non est in omnium potestate hominum vel

exile veræ pietatis comovere sensum. Divina Christi vox & virtus è cælo est, quæ, quidquid boni sensus est, operatur. Vox loquentis in Christi nomine, *vox est Clamantis*: vox quidem solum humana est, sed non solus homo qui loquitur, quantum ad vocis effectum spectat; *Vox Christi est in virtute, in magnificentia, vox confringentis cedros, vox commoventis desertum.* Sicut in Sacramentis humana vox est pronuncians sacra verba, sed vis divina Christi est, effectum voci de cælo præbens: unde Apostolus suis: *Christus exhortetur corda vestra*, quasi diceret, autem ferite possimus corporis, at Christi solius est commoveres; *sufficiens nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.*

Quamobrem, quod tertium est & præcipuum propositionis nostræ caput, facile est explanare, quam sit videlicet majus & illustrius ad declarandam Christi Domini Divinitatem, quod sic ipse in cælis, atque inde nobis modò loquatur, quam cum in terris esset. Nam & illa omnia suæ divinitatis argumenta, quæ Christus dabat Judæis, nos habemus; & illud insuper eximium & singulare, quod non habebant, nobis collatum est, ut quod resurrexit & ad cælos ascendit, credamus & profiteamur omnes. Dico illud esse eximium & singulare præ cæteris, quæ conferre possint ad certissimam Divinitatis Christi fidem roborandam; nam ut notârunt Sancti Patres, in aliis Christi mortalis mysteriis semper occurrit humanum & infirmum aliquid, quod tamen à divina non est alienum persona, tamen humanæ magis est proprium naturæ quàm divinæ: cum autem in cælis est, cum se illuc sua virtute promover, cum supra quidquid creatum est, ad dexteram Patris sederet, & æqualis est cum illo potestatis; cum inde sanctum emittit Spiritum, quo totum in se convertat mundum; eam nos denique ad se ita trahit, ut in odorem unguentorum ejus curramus, quid est, quod in isto mysterio non sit eximium & singulare, in quo totum est cæleste, totum divinum? Quid est quod desideretur apertius ad Christum verum Deum agnoscendum? *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis, ut præclare Apostolus.*

Hebr. I.

Matt. 12.

Hoc est quod expetebant illi qui de cælo signum petebant, sed nobis erat reservatum. Hoc est quo uno præcipue Christus suam

ex veteri testamento Divinitatem indicavit, cum à Judæis quæreret, quid sibi videretur de Christo, cujus esse filium dicerent? Cùmque responderent esse Davidis; at quomodo, ait eis, *quomodo ergo david in spiritu vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quasi diceret, nonne hinc manifestè videtis supra hominem esse quem David Dominum vocat, & tamen revera Dominum apparere, cum sedet à dextris Dei? Hoc illud ipsum est quo, ut supra est expositum, quidquid in vita Christus gesserat, quam sanctè & justè gestum esset, animabat manifestandum fore; quia, inquit, *ad Patrem vado, quia sic patebit me esse Deum, ac proinde nihil nisi justum egisse.*

Hoc est unde ipsi beati Apostoli, qui, ut ait sanctus Leo, *tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominica Passionis expaverant, & veritatem resurrectionis ejus non sine hesitatione susceperant: tantum de Ascensione Domini profecerunt, ut quidquid illis prius intulerat metum, vertetur in gaudium.* Totam enim contemplationem animi, in Divinitatem ad Patris dexteram sedentis exercebant, nec jam corporeæ visionis tardabantur objectu, quo minus in id actum mentis intenderent, quod nec à Patre descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat. Tunc igitur, diæchismi, filius hominis, Dei filius excellentis sacratissimæque innotuit, cum in paterna majestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cepit esse Divinitate præsentior, qui factus est humilitate longinquior. Tunc ad æqualem Patri filium eruditior fides gressu mentis ceptæ accedere, & contræctatione in Christo corporeâ substantia, qua Patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu sed spiritali intellectu per genitorem unigenitus tangeretur.

Sic denique Divus Thomas, ubi de rationibus Ascensionis Domini, hanc in primis affert, ut magis agnosceretur Deus, in cæli sede, inquit, *tantum Deus & Dominus qui dona dat hominibus juxta illud, ascendit super omnes cælos ut implet omnia, suis scilicet donis.* Et auctur nostra reverentia, dum jam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum cælestem, citatque illud Apostoli, *et si cognovimus secundum carnem, Christum, id est, hominem mortalem, sed nunc jam non novimus. Nunc magis eum considerantes in cælis quàm in terris,*

magis

magis cum eo, ut Domino Deo, conuersamur quam cum mortali homine. O felicem humanam sortis commutationem! Cum hominibus conuersatus est in terris Deus, ut iam in caelis homines conuersentur cum Deo!

III. PUNCTUM.

Sedentem igitur in caelis Christum & inde nobis loquentem non audire periculosius est, quam dum in terris loqueretur: periculosius est, inquam, ad lapsum, ad noxam, ad poenam & detrimenta quaevis tantò grauius incurrenda, quantò facilius est & illum agnoscerent Deum esse qui de caelo loquitur; & qui loquenti Deo repugnat, veritati manifestae repugnare: qua repugnantia quid sceleratius ad culpam? & ad poenam quid grauius? *Reuelatur enim ira de caelo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumelios afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium.*

Videsne Apostolum hoc uno magis veteranos illos infideles insectari, quo magis manifestae veritati repugnarunt. Unde & in alios, quibus etiam illustrior irradiat veritas, vide quanto acerbius inuehat: *O insensati Galatae, qui vos fascinarunt non obedire veritati.*

Ac denique illorum miseriam, qui ab Evangelio dissentient, propterea vel maximè deplorandam ait, eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, id est, veritatem practicam & agentem: ideo mittit illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati sed conseruerunt iniquitatis. Quasi diceret, primò quidem eorum fuit culpa, quòd noluerint credere manifesta veritati, cum possent illi facillè credere; post verò, hæc est eorum culpa poena, ut non possint tam facile, licet velint. Palpabunt in meridie. *Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.*

Quapropter attentè modò nobis est audiendus Apostolus, ut deinceps attentius audiatur Christus: *Videte ne; eum qui loquentem.* Videte quas illi subierint poenas, qui lo-

quentem in terris recusarunt. Videte quantò sit modò damnosus illum è caelis loquentem nobis auertere. Videte quis loquatur, quid loquatur, quibus modis & à quibus aueratur? *videte vosmetipsos ne perdati quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.* Videte quantis partibus supra ceteros omnes via vobis ad eam veritatis notitiam sit aperta. Videte quid inde vos aueriat, quam sit vanum & ludicrum! Videte quòd si à vobis aliquid terrenum petitur, pro terreno caeleste, pro temporali æternum, pro modico summum & quod est unicum bonum promittitur. Videte quòd res vestrae non tam postulentur quam temperatus rerum affectus, unde nihil vobis deperit, sed potius accedit plurimum & quietis & honoris & gratiæ. Videte quòd sit solus defectus fidei; quam sit pavendum illud incredulitatis vitium, quo retardamini.

His & similibus, cum gratia, vehementius exardescere ad contemptum terrenorum & amorem caelestium juxta illud etiam Apostoli: *festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum: Est enim festinare, non retardari terrenis affectibus, sed recta quòd vocamur, & indefinenter pergere. Quod & præclare sanctus Leo, sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna prælectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebra non retardent, & ita à fidelibus hac temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiam si quaedam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos devotionem beatissimus Apostolus Petrus incitat, & secundum illam dilectionem, quam pascendis Christi orbibus trina Dominici amoris professione concepit, obsecrans dicit, Charissimi obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis qua militant adversus animam. Cui autem nisi Diabolo carnales militante voluptates, qui animas ad superna tenentes corruptibilem bonorum delectationibus obligare, & ab illis sedibus, de quibus ipse excidit, gaudet abducere?*

Vide in 3. parte, Feriam 6. hebdomadae 13. ubi ad verba Christi Domini, ego sum panis vivus qui de caelo descendit; quibus hæc Apostoli conformantur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem caelestis, exhibetur hæc veritas,

Qui cælesti pane sic vivunt ut cælestes fiant,
sic in suis vivunt corporibus, sicut
Cælites in assumptis.

Vide etiam in 4. parte, in festo Sanctorum
omniaum.

FERIA SEXTA. DE QUINTO MOTIVO EXCITANDI

In Cælum desiderii:

*Quod tam juste debitum sit hoc desiderium, ut injusti
simus & indigni Cælo consequendo, nisi Cæ-
lum desideremus.*

*Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in Cælum, sic
veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum. Act. 1.*

VERITAS PRACTICA.

Sic dignum est Cælum nostris desiderii, ut
nisi cælum desideres, cælo sis in-
dignus.

*Ratio est, quia nisi cælum desideres, cælum despicias.
Sed si cælum despicias, cælo es indignus.*

*Ergo sic dignum est nostris desiderii, ut nisi cælum
desideres, cælo sis indignus, & omnino pri-
vandus; Quod quam sit parvendum satis
patet.*

I. PUNCTUM.

CUm Apostoli cæterique spectatores
Ascensionis Christi, ut refert sanctus
Lucas, intuerentur in cælum euntem il-
lum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vesti-
bus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid sta-
tis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus
est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum
vidistis eum euntem in cælum. Quasi dicerent,
sic spectate & prædicare ascendentem Domi-
num, ut sciant omnes sic eum Judicem ali-
quando descensurum ad exigendam vitæ æ-
tæ rationem & ad reddendum unicuique se-
cundum opera sua. Quod præclare sanctus
Gregorius; Oportet, inquit, ut illum sequamur
corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desi-
deria terrena fugiamus: nihil nos jam deleat in

Hom. 19.

infimis qui patrem habemus in cælis. Et hoc nobis
est magnopere perpendendum, quia is qui placi-
dus ascendit, terribilis redibit. & quidquid nobis
cum mansuetudine præcepit, hoc à nobis cum di-
stricte exiget. Nemo ergo indulta pœnitentia
tempora parvipendat, nemo curam sui dum va-
let agere negligat, quia Redemptor noster tunc
tunc in iudicio districtior veniet, quando nobis
ante iudicium magnam patientiam prærogavit.

Ex quibus sancti Doctoris verbis patet,
quod sicut non est satis cælum desiderare, nisi
adhibeatur cura salutis comparandæ, ita etiã
ad eam comparandam multum valere cæli
desiderium; Neque aliter cogitare possumus
interrogatos ab Angelis Apostolos, quid tam-
diu mirarentur & cælum aspicerent, nisi ut
monerentur, non esse quidem satis cælum
intueri aut desiderare, nisi simul cælo labora-
rent; Et verò etiam ad hunc laborem suscipi-
endum non parum valere cogitationem &
desiderium cæli, de quo agitur in illo labore
& opere peragendo. Quod ut efficacius per-
sua deatur, sic est proposita veritas, ut non mo-
dò desiderii cælestis utilitas aut dignitas de-
monstratur, sed & ipsa necessitas, Sic enim di-
gnum est cælum nostris desiderii, nostris votis &
suscipiis, ut nisi cælum desideres, cælo te indig-
num ad omnem æternitatem præstes.

Ratio est facilis & evidens: nam nisi cælum
desideres, cælum despicias: sicut si propo-
neretur facili pretio, res æquæ commoda, &
utilis,